



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

In festo S. Dominici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

dando indulgentias convenientissimè in hoc egerit, has convenientias inspiciamus.

S. Franciscus ad reparandam missus Ecclesiam, reparabat prædicando poenitentiam. Sed licet poeniteat peccatorem & culpa illi dimittatur ob quam poenam meretur æternam, adhuc manent sustinendæ poenæ temporales. Dimissa est Moyse incredulitas, tamen in poenam non intravit terram promissionis, &c. Duo enim sunt in peccato, Aversio à summo bono, & hæc si non sit dimissa punitur in æternum: & ad conversio ad bonum creatum. De hac Aug. in epist. ad Rom. prop. 42. *Unusquisque peccando, animam suam diabolo vendit, acceptâ tanquam pretio dulcedine voluptatis temporalis.* Ita fit nobiscum ut si quis furetur magnam pecuniam Principi propter quod meretur mortem flet, orat veniam, dimittit illi Princeps mortem, sed minorem tamen statuit poenam. Franciscus in toto orbem voluit reparare, fuit verò mansuetissimus, ejus sunt verba in Manuali Francisc. *Postquam corrigere & emendare non possum prædicatione, admonitione, & exemplo: nolo carnis fieri ad puniendum & flagellandum sicut potestas hujus sæculi.* Voluit etiam hæc debita temporalia exolvi, favit illi in hoc Christus, & in domo illa instituit indulgentiam plenariam, quam Pontifices ad omnia templa sui Ordinis extenderunt. Factum id in templo B. Virginis, quia per illam nobis dona sua largitur Christus, &c.

In Festo S. Dominici.

DE hoc sancto dicit Reginaldus. *Hic est qui in Adam non peccavit.* Aug. serm. de quinque panibus. *Si quis habuerit charitatem tantam, ut paratus sit mori pro Fratribus, in eo charitas perfecta est.* S. Dominicus voluit vendi pro filio viduæ, libros Palentiæ vendidit ut fame laborantibus succurreret. Coram

L

Inno-

Innocentio Papa cum diceret in Concione admiranda, quaerit unde ea haberet? respondit, ex libello charitatis. Ad illius Religionem B. Virgo misit Reginaldum de statu vitæ deliberantem, & ipsa illi dedit vestes religiosas. Alex Papa IV. *Hi sunt viri probati in lege Domini, Fratres Ordinis Divi Dominici, efficares quidem in opere, atque potentes in sermone, quia ubique ipsorum ora intonant per totum mundum velut tubæ, & in omnem terram exiit sonus prædicationis eorum, & usque in fines orbis terræ salutifera verba sonant.* Cùm S. Dominicus ascenderet in coelum, Christus & B. Virgo tenebant scalas, quod vidit Gualla Episc. Brixien. Abbas Joachim in templo S. Marci longè antea curavit depingi S. Dominicum. Constantinopoli in S. Sophiæ templo penes S. Paulum; multò etiam antè depictus in habitu hujus Ordinis vir cum inscriptione Græca, *vocor Dominicus.* Hæc ex Bareleta Ord. Prædic.

In Assumptione B. M. Virg.

Abscondebat totâ vitâ suâ B. Virgo dona DEI in se colata, & suas virtutes. Prima votum fecit Virginitatis. Aug. lib. de S. Virginit. c. 4. *Annuntianti Angelo Maria respondit, quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? quod profectò non diceret, nisi se prius virginem DEO novisset.* Abdias in vita S. Bartholomæi. *Hæc Virgo cùm execraretur omnem virum, servanda virginitatis votum cùm à nullo homine nec verbo didicisset, neque exemplo ad imitationem fuisset invitata, prima DEO obtulit, nulla enim hoc votum DEO obtulerat. Sed clariùs Beda hom. de Annunt. Virgini Divino munere collatum est, ut prima inter fœminas DEO virginitatis munus offerret.* Parentes habuit divites ut S. German. in encom. S. Virginis, qui, ut Hieron. de ortu Virginis, in tres partes sua bona diviserunt, templo, pauperibus, sibi ipsis